redintegrato verendum, ne denuò in nos repressalia instituantur per Hispanicos vicinos, nisi aliunde metu cohibeantur. Sic nihil praesidii nisi in Deo nobis relictum, à quo oro nihil impensius, quam ut impendentibus malis me in pace subducat. Anti-Bellarminum tuum jam pridem desideravimus, et tu manum tandem de tabula. Ego in quartum Tomum lectiones meas quotidiè effudi magis, quam scripsi. Itaque non mirum, si passim minus sint elaboratae, aut tibi non satisfaciant ubique, quia nec mihi satisfaciunt. Interim tu inventis facilè limam addes. Librum de gratia primi hominis, ut et tres primos de amissione gratiae Conzius quidam Jesuita Scepticus diris cavillis vindicare coeperat. Sed non perrexit, quia me à coepta castigatione revocare instituerat. Denuò igitur librum de gratia primi hominis recensui, dilutis breviter ipsius cavillis. In eo, quam tu diversam à me viam secutus sis, non satis percipio: neque arbitror te de supernaturalibus dissidere. Quicquid sit, si longum non sit, praestabit fortè, te epistolae committere quam integras lucubrationes transmittere. Quod tamen si lubebit, praestabo officium, quantum permittet valetudo et aetas, quae me vix sinit multa legere. Feliciter vale. Heidelbergae 11. Julij. 1621.

243. Ad D. Paulum Steinium

S. Theologiae Doctorem

Quod de dissertatione ad me missa accuratum judicium meum petis, rem viribus effoeti ingenii majorem postulas: postquam ego, ita suadente inde aetate, studia omnia à sublimioribus illis disceptationibus ad quotidianam beatae mortis meditationem penitus traduxi. Scis ex Commentario meo ad Roman. ex Irenico, ex Bellarmino castigato, quid de Praedestinationis ordine ex verbo Dei sentiendum statuam. Neque quid Ecclesiae nostrae et vestrae, omnesque Reformatae sentiunt,

publicèq de reliq̃ Synodi Dordracenæ, cui ipse præsens rite interfuisti, pro-
fessa sint, te latet. D. Moltherum aliquid ἑτερόδοξον hîc habuisse, non val-
dè miror: habuit et alia plura, de quibus mihi cum eo aliquando serio ami-
ca βοσεξῆς. Nihil ego dissertationi ejus de reqûbus modo signaveram.
Tua facit Dei decreta, alii faciunt quatuor, alii sex: ego non nisi unum
Dei consilium in scripturis invenio. Electionem ex universitate redem-
torum (sic enim Thes. 5 & 8. videtur loqui.) factam vult. Ego Huberi ejusq
eius opinioni affine hoc arbitror: ubique autem in scripturis prædestina-
tioni redemtionis et salutis media subjici video: præsertim Rom. 8: 30. Eph.
1. 4. Deum post redemtionem, seu redemtos aliquos reprobasse, et repro-
bos in statu redemtionis fuisse in pueris naturalibus; ego non dixerim,
nec cohærere arbitror: etiam illud sufficeretur, quod pueris natura-
libus nusquam addit culpam aeternitatem naturæ, quam sophistas
ab illis fis separare. Thes. 15 & 16. Damnantur erroris nostrarum
ecclesiarum Doctores, et Augustinus ipse, nimis iniquè et superstitiosè
gratia universalis Thes. 17. est Pelagiana crambe, historiæ et
scripturæ inimica, neque cum Thes. 8. consistens. Voluntas Dei
antecedens et consequens est Ἀντιλέγει ἑρίδος, et pelagianarum liti-
um uberrima seges.

Habes liberè quid sentiam: modo tamen redemptio universalis
facessat: salvandorum discrimen soli Dei consilio et gratiæ relin-
quatur, nec detur arbitrio humano initium, vel ex parte, contra
illud: Quis te discrevit? scandalum fratribus non ponatur: denique
redemptionem prædestinationi subjicientes, ex illo: Tui erant, quos
dedisti mihi: erroris non damnentur: author vel quivis alius
sensu suo in latitudine charitatis abundet per me licebit. Fe-
liciter vale. Heidelbergæ 13. July 1621.

Johanni Georgio Pareo
filio charissimo
Salutem!

***. Humani præsidii apud nos nihil apparet. Unicum
nobis refugium restat Deus, à cujus providentia pendemus.
Ego quorsum me in urbis nostræ excidio recipiam, non
video. Si in hostium manus incidam, scio quid me maneat. Fi-
at Domini voluntas. Non minimè me angit, quod te absente omnia
nostra præda erunt. Quod ergò Dominus dedit, Dominus abstulit,
sit nomen Domini benedictum. Plura vel etiam arcana
de rebus meis, quæ te scire vellem, scribere non audeo: quia
literæ plurimæ intercidunt, tam tuæ fortè, quàm nostræ. An
faciem meam sis unquam visurus, valdè dubito, ideò tu æternum vale.
Dominus Deus in coelesti vita nos recolligat. Salutat te frater tuus
Philippus, qui heri Neostadio me invisit. Heidelbergæ 22. Febr. 1621.